Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26181
Copyright: Admont, Benediktinerstift

bet euentu, non ex quolibet fortuitu. Iste languor proprius est, ista egritudo proprie iniquitatis est.
An aliud tibi uidetur? an aliter putas. an aliter contueris? an aliter existimas. an aliter
sentis? an aliud iudicas. an aliud deputas? HOMO. Nichil sane. nichil prorsus.
nichil penitus. nichil omnino habeo quod contradicam. Cedo ueritati. negare non possum. Fa
teor esse uerum. Quis hoc dubitet? Quis istud ambiget? Quis istud neget? RATIO.
Si ita est. si certum habes. si perpensum est. si exploratum est. aufer a te iam uitium. crimen
remoue a te. A uanitatis malo te coherce. a uitio et peccato te retrahe. Fuge
iam uite maculam. fuge iam uitiorum cultum. fuge turpitudinem uite. puritate uite ma
culas ueteris ablue. HOMO. Bene dicis. bene doces. bene instruis. bene ad
mones. bene persuades. bene instruis. Et ego optabam a peccati nexu resolui. cupi
ebam a consuetudine mala retrahi. Desiderabam a uitio recedere. querebam usum nequis
simum superare. sed heu difficile est peccati consuetudinem uincere. prauus usus uix
aboletur. assidua consuetudo in naturam conuertitur. assiduo usu innaturatur uiti
um. animus sceleribus astrictus diuelli ab eis uix potest. Tanta sunt mea uitia. ut
uix elui possint. uix credo peccata mea ullo spacio temporis exsolescere. Vltro
me miserum antea uitiaui. spontaneo me dudum studio pollui. Sponte mea proprio ar
bitrio perdidi. propria uoluntate me maculaui. Bonus eram. sponte ad peccatum dilap
sus sum. Liber eram. sponte mea factus sum debitor mortis. Infelix ego. peccatum spon
te mihi propria ipse paraui. ego proprius occasionem peccandi amplexus sum. nunc peccati usu
astrictus detineor. mala consuetudo me semper grauiter implicauit. Longa consue
tudo in me ius sibi et legem fecit. usus peccati necessitatis uinculis me astrinxit.
A delicto discedere uolo. nec ualeo. quero a lapsu resurgere. et non ualeo usui re
pugnare. Trahor boni amore. retrahor male consuetudinis lege. Longus pec
candi usus me superatum obtinuit. peccata mea consuetudine duruerunt. Uo
lo agere bonum. sed desideria consueta non sinunt. Consuetudine peccandi quan
do nescio sic delinquo. peccati usum. quando non opto incurro. Prauo usui contra
ire nitor. sed carnis desiderio aggrauor. Ad iustitiam me amor erigit. sed ad
peccatum consuetudo constringit. RATIO. Reluctare contra prauam consue
tudinem. contra consuetudinem peccandi tota uirtute repugna. Vince usum carnalem.
etiam cum dolore. quamuis cum difficultate perniciosam consuetudinem uince. quamuis cum
dolore usui malo resiste. Propone tibi aduersus presentis carnis ardorem. gehenne
ardorem. futuri supplicii ignis superet estum libidinis. Recordatio eterni incendii
extinguat libidinis incendium. Memoria ardoris gehenne. ardorem excludat luxu
rie. Fornicationis penam metus grauioris supplicii uincat. Fortior dolor dolorem
minorem exsuperat. Patienter leuiora portabis. si grauiora fueris recordatus. Uer
setur etiam ante oculos tuos imago futuri iudicii. Preuide quam post modicum eris pas